



**N**otgerus eruditione & pietate cōspicuis Be-  
nedictinorum ordinem apud S. Gallēses as-  
sumpsit, atq; sua presentia eum locum mirū in mo-  
dum illustravit. Erat enim multarum artium & lin-  
gularum peritissimus. Itaq; Psalterium Germanica  
lingua donauit, atq; omnibus legendum exhibuit,  
id quod eo tempore erat rarissimum, cum syllabæ  
uix connecti possent, atq; omnia Latina lingua æ-  
derentur. Cum etiam Musices & Poetices esset stu-  
diosissimus, aliquot cantus & Sequentias compo-  
suit, quibus postea Ecclesia certis temporibus usa  
est. Admonebat autem omnes, ut placidè & tran-  
quillè huiusmodi uersus in templis canerent, ne

clamoribus inordinatis preces impedirentur. Vitæ etiam innocentiæ alijs fra-  
tribus erat exemplo, atq; omnes ad pietatem & uirtutes hortabatur. Itaq; fa-  
ctum ut postea inter sanctos quoq; cōnumeratus, atq; eius memoria hymnis  
quibusdam celebrata fuerit. Floruit is anno Christi octingentesimo & nona-  
gesimo, quo tempore mortuus in monasterio S. Gallensi sepultus quie-  
scit, generalem hominum resurrectionem expectando.